

Letter 47: 23 June 1520, Basel, Caspar Hedio to Capito

The autograph manuscript of this letter is in the British Library, ms. Add. 21.524, fol. 5, 2.

5 Salutem. Heri, hoc est, in festo Sancti Albani, cum declamassem in templo eiusdem, literas tuas reddidi reverendo D. Claudio. Mirum qua voluptate illas exceperit. Nihil plane, ut videbatur, potuisses illi gratius misisse. Thesauri loco se habiturum fassus est non semel. In mensa amicissimis ostendit, non sine magna Capitonis praedicatione, triumphans quod in tot negociis non esses gravatus illi scribere. In aurem multa mihi dixit quae coram brevi recensebo. Patronus est syncerissimus. Totis viribus vult adniti ut canonicatum tibi acquirat Basileae, etiam si per regem Carolum nullus accesserit.

10 Dominum custodem collegerunt literae tuae, rescribet cum Bernardo de Clingenberg, qui brevi ad te est venturus. Urget enim illum coronatio illuc. Hartmannus prudenter ageret, si patruo semel scriberet: quaesivit idem ex me num atrumentum haberetur Lovanii et papyrus. Oportet veteribus affectionibus tribuere aliquid.

15 Eximius D. Egranus nobiscum fuit aliquot diebus, quicquid humanitatis potuimus, libenter illi exhibuissimus. Si quid neglectum est, tu resarcies. Consuluit Iacobo Truchses, ut Wittenbergam adiret. Praeterea mihi, ut laborarem de conditione Augustana, asserens illic factum mei mentionem. Ego tuum consilium amplectar, non exhibebo me venalem, neque aliquid agam te inscio, quicquid unquam conditionis fuerit oblatum. Porro quid hic actum sit hisce diebus de Lutheri operibus non amplius imprimendis, longum fuerit scribere. Praesenti Egrano acta est comoedia, a quo auditurus es. Frater tuus bene valet. Est paulisper impeditae linguae, sed annis melius habebit ut speramus. D. de Rotperg et D. Christoph. salutant te synceriter.

20 In proximis comitiis Turregi petiit senatus Caroli ut Helvetii e singulis pagis legatos mittant ad regem, et futurum est, ut audivi ex quodam consulum. Caetera optime habentur. Vale, Basileae 1520, IX Kal. Iulii. Caspar Hedio tuus.